



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Additio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

explicit *Votum*. Hinc femina soluta, v.g. peccans cum Sacerdote, Diacono, Subdiacono, vel professo, vel habente vota biennij Societatis Iesu, &c. sufficit si dicas, *se cum eo, qui voto obnoxius erat, peccasse*. Ratio horum est eadem, quae *precedenti num.* dicta est.

5. Sed iam exoritur alia difficultas: An qui habens *Votum Castitatis*, est causa inducens alios ad turpiter peccandum; debeat suum tale *Votum* explicare? v.g. Petrus Sacerdos, vel Religiosus consilium dat, vel inducit Paulum, & Antoniam nullo voto obstrictos, ad illicitum congressum; debetne Sacerdos ille per eam inductionem fatetur, explicare se esse Sacerdotem?

Respondeo non debere. Ita Sanch. l. 5. in *decal. cap. 6. n. 10. in simili*. Ratio est, quia *Votum* non videtur se extendere, nisi ad obligandum voventem, ne ipse in sua persona delectationes Veneceas admittat; non vero, ne alios ad eandem inducat, propriam enim, quamque Castitatem promissit, non alienam.

6. Hic denique nota, Novitium qui nondum vlla vota emisit, non obligatur pacificare se esse *Novitium* si forte peccet contra Castitatem: quia donec vovent, novam speciem peccati non committit.

De Peccato cum filia Confessoris, an sit Sacrilegium explicandum Confessario; dixi *superius*, §. 1. n. 4.

Sacrilegium ex loco sacro.

7. Iam verò quoad alterum genus in hac materia, quod est, quando, in loco sacro, ejusmodi turpia perpetrantur; sciendum est, per voluntariam pollutionem, seu feminis effusionem, quando notoria est, pollui Ecclesiam, & reconciliatione indigere. Certum autem est copulam illicitam, & quamcumque illicitam feminis effusionem, in loco sacro habitam, si sit notoria, superaddere peccato rationem sacrilegij in Confessione patefaciendam.

8. Sed quid primò: quando copula est occulta? Respondeo; licet communior, & probabilior sententia sit, etiam tunc esse sacrilegium. Ita Suar. t. 1. de *rel. lib. 3. c. 7. num. 4.* Sanch. lib. 9. de *mar. disp. 15. num. 1. 1.* Bon. de *mar. trim. q. 5. p. vlt. n. 7.* Tamen probabile etiam est, non esse, atque adeò in Confessione minime explicandam. Ita Vasq. t. 1. p. 2. *disp. 98. cap. 3. n. 6.* Basil. Pont. de *mar. lib. 10. cap. 10. n. 15.* citans alios, & dicens esse sententiam communem Doctorum. Ratio est, quia in tantum est sacrilegium, in quantum polluitur Ecclesia: ac non polluitur per occultam copulam; ergo &c. Quando autem fuit occulta copula, sed deinde post aliquot dies, v.g. facta est notoria; polluitur quidem Ecclesia in foro externo, indigetque reconciliatione: At copula *precedens* non fuit in foro interno sacrilega, nec ab illa, quia occulta, fuit Ecclesia violata.

Idem docet Alesand. Tamburinus his verbis: Ecclesia, & cœmeteria occulte polluta, quando pollutio latet, non indigent reconciliatione; at quando incipit publicari violatio, necesse est, ut Ecclesia reconcilietur.

9. Quid secundò: Si copula sit licita, id est, conjugalis? Respondeo, si adsit necessitas, non esse sacrilegium: de qua vide Sanchez lib. 9. de *mar. disp. 15. n. 12.* & nos dicemus paulò infra c. 3. §. 5. n. 40.

10. Quid tertio: De osculis, tactibus, & locutionibus turpibus sine effusione feminis in Ecclesia publice factis? Respondeo non esse ex hoc capite sacrilega; unde nec specialiter in eorū Confessione sacer locus aperiendus Ita *ibidem*. Ratio est, quia hoc sacrilegium committitur ex eo, quod violatur Ecclesia (quæ quidem violatio per sacros Canones inducta fuit:) at per solos tactus quomodocumque impudicos, quamvis cum pollutionis periculo (modò pollutio non sequatur) non violatur Ecclesia: ergo, &c.

11. Notanter dixi (ex hoc capite:) non enim est negandum, si quis hæc vel similia exerceat in loco sacro, cum magna Ecclesie irreverentia, ut si meretricem publice ante Altare impudicè quis tangeret, si in sacro

templo lascivias Comœdias repræsentet, &c. non est quàm negandum, ab hoc sacrilegij scelus in sua propria specie committi, etiam exclusa omni humana prohibitione. Ita Bon. circa 1. *Decal. pr. q. 6. n. 14.* & alij *passim*. Respondeo, quia esset gravis irreverentia divini cultus, atque ipsius Summi Dei notabilis injuria.

12. Petes, quid intelligitur, ad hunc effectum, non loci sacri, Respondeo quamvis ad effectum refugij loci sacri nomen intelligatur, includatque non solum Ecclesiam ipsam, Capellamque suas, sed etiam Sacrilegium Monasterium, &c. Ita Sanch. lib. 9. de *mar. disp. 15. n. 24.* At ad effectum constituendi sacrilegium, tum homicidio, tum in furto, tum hæc, intelligitur sola Ecclesia, & solum Cœmeterium, hoc est, Ecclesia cum suis Capellis consecrata; aut saltem ab Episcopo benedicta, sacris officiis, aut sepultura fidelium deputata. Sanchez *ibid. d. n. num. 23.* non ergo oratoria sacralia privata, etiam ibi celebretur ex licentia Pontificis. Sanchez *ibid. n. 39.*

13. Denique adverte duo: Primò, non addere vnam sacrilegij speciem, circumstantiam temporis, Ita de Lugo. *disp. 16. de pen. sect. 1. 2. num. 323.* Sive igitur die festivo, sive die veneris Sancto commissum fuerit peccatum, non est necesse ejusmodi temporis in Confessione meminisse. Nisi forte ex alio capite Deo, ejus cultui irreverentia aliqua notabilis irroperet. Ita *ibid. n. 24.* ut si quis v.g. ludos publicos, vel Comœdias, ludicra spectacula exhibere in die Veneris Sancto, vellet; idem esse contra Dei reverentiam, nemo dubitare debet.

14. Secundò: Nec ex se superadditus similis sacrilegij malitia, ex eo quod quis peccet gestando sacras Reliquias. Ita Fill. t. 2. *tr. 30. c. 7. num. 129.* apud Dian. *prælat. ref. 18.* Ratio est, quia non videtur tam gravis irreverentia.

15. Quid, si Sacerdos, v.g. portans Sacram Eucharistiam, vel primò copulam carnalem haberet, vel eundem infamaret, seu furaretur, seu quid simile peccatum pararet? Respondeo: in primo casu magnam irreverentiam agnosco; unde & grave speciale sacrilegium contra Religionem commissum, atque adeò Sacramentum subijcendum. In secundo tam gravem irreverentiam non video. Nec novum est, non omnia peccata æqualem turpitudinem continere: nam propter eandem rationem eum, qui valde impudica ante Altare exercet, modò *num. 11.* a sacrilegio non liberavimus; liberamus tamen alia peccata non ita turpia committentem. Ita Azor. t. 3. *cap. 17. quest. 15.*

§. II. *Additio.*

1. VNum hæc addendum superest: Contra eos, qui rapiunt vel sollicitant, vel corrumpunt Moniales, quod est committere sacrilegium ex parte feminae, fulminatur in iure Canonico, c. si quis raperit 27. q. 1. pena capitis, & item sacrilegi bona Monasterio deputantur. Nota illud vel: significat enim eandem incontinentiam, etiam si raptus non adsit, non sollicitatio; & etiam si adsit sollicitatio sine rapto, &c.

Duas esse numero malitias in Sacerdote, seu Professo peccante cum Professa, speciatim aperiendas in Confessione; dicam mox capite sequenti, §. 1. n. 2.

De Sacerdote Græco vxorato, an sacrilegium committat, si alias tangat; dixi in superioribus l. 2. c. 6. §. 3. n. 3.

CAPUT III.

§. I. *De Adulterio.*

1. IN Methodo conf. lib. 2. cap. 7. §. 6. sic habes: Certum est conjugatum turpiter peccantem cum soluta, vel contrà, debere explicare se esse conjugatum: quia tunc adsit nova species, nempe adulterium, sed quia